

probatam in disputationem non esse deducendam. Cavendum esse, ut omnium seditionum viæ & aditus intercludantur. Sic animabus hominum immortalibus non esset consultum. Longe sobrius judicat *Pufendorfius* de Habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem, qui §. 49. p. m. 164. *Et quantuscunque sit iste amor in cives, inquit, qui obtentui sumitur, per eundem haut quaquam immutari debet modus propagandi Christianam doctrinam, & redarguendi errores, quem Religionis Christianæ indoles requirit. Præterea ad tranquillitatem civitatis non absolute necessarium est, ut omnes cives circa singula religionis Christianæ capita consentiant, seu, quod eodem recidit, dissensus circa capita religionis per se non turbat quietem civitatis, sed intemperies ingeniorum, ambitio, gloriæ & potentiæ cupiditas, zelusque prave temperatus, quum ab isto dissensu ansam sumunt, turbulentiam suam expromendi. His vitiis fræna injicienda sunt, ne per petulantiam turbent eos, quævis, salvo adversus Principes obsequio nil aliud quæritur, quam conscientie libertate frui. Cognovit Apostolus Paulus, disputationes non turbare Rempublicam, quam salvam esse jussit Rom. XIII. ideo præcepit Tito, ut tenax sit fidelis sermonis, qui ad doctrinam facit, ut possit exhortari per doctrinam suam, καὶ τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν & contradicentes convincere Tit. I. 9. Si itaque disputationes de rebus divinis sunt concessæ, imo ab Apostolo injunctæ, manifestum est, juvenes esse præparandos ejusmodi certaminibus, ad propagationem & defensionem doctrinæ Christianæ necessariis. Ut vero normam habeamus,*